

## DISSERTATIO CCIV.

*De B. Virginis Gratia . Quando habuerit Gratiam  
Sanctificationis ? An tunc habuerit omnem Gra-  
tiam ? Quanta fuerit ejus Gratia ? An fue-  
rit confirmata in Gratia ? Et an pec-  
cati fomes fuerit in ea extinctus ?*

**C**ertum est apud omnes, B. Vir-  
ginem habuisse gratiam san-  
ctificationis in utero, hoc est,  
fuisse in utero matris suæ a  
Deo sanctificatam . Quando  
autem in utero fuerit sanctificata, an pri-  
mo animationis instanti, an vero altero  
ex subsequētib; quæstio est inter illos,  
qui asserunt fuisse illam ab originali pec-  
cato præservatam, & eos, qui negant. Hi  
enim postremi ideo negant, quia non po-  
terat B. Virgo eodem instanti reali esse  
Deo inimica per peccatum, & amica per  
gratiam. Nihilominus his non obstantibus  
Prima sententia est Henrici, quod lib. 15. qu.  
13. asserentis, B. Virginem fuisse concep-  
tam in originali peccato, & nihilominus  
in primo instanti suæ Conceptionis fuisse  
sanctificatam. Contra hanc sententiam late  
disputat Durandus in 3. dist. 3. qu. 2. & post  
ipsum Suarez in 3. par. qu. 27. art. 2. disp. 3.  
sect. 5. Ad illud, quod dictum est, eodem  
instanti non posse gratiam, & peccatum  
originale in eodem subjecto reperiri, re-  
sponder Henricus, quod licet B. Virgo  
non potuerit in primo instanti esse in  
peccato originali, & recipere gratiam,  
potuit tamen Deus in eodem primo in-  
stanti infundere gratiam, manente pecca-  
to originali; Unde repugnantia remansit  
ex parte subjecti, scilicet B. Virginis, non  
vero ex parte agentis, hoc est, Dei. At  
Suarez sic eum impugnat: Infundere gra-  
tiam in illo instanti vel est efficere vere  
illam, & vere producere, & sic in illo in-  
stanti esset gratia, & esset in Virgine, quia  
non esset extra subjectum: vel non est ef-  
ficere gratiam, & hoc pacto Deum in-  
fundere gratiam non aliud sonat, quam  
Deum esse veluti paratum ad infunden-  
dam gratiam immediate post illud in-  
stans. At hæc non est quæstio de qua  
loquimur, ut cuique consideranti patet.  
Secunda sententia est illorum, qui volunt,  
Virginem in primo instanti suæ anima-

tionis fuisse conceptam in originali; &  
paulo post fuisse sanctificatam. Et hæc  
opinio est fere omnium illorum Schola-  
sticorum qui sustinent, B. Virginem fuisse  
in originali conceptam. Hujusmodi sunt  
Durandus, Paludanus, Capreolus, Grego-  
rius Ariminensis, S. Antoninus, Cardina-  
lis de Turrecremata, alique.

Tertia sententia est illorum, qui susti-  
nent B. Virginem fuisse sanctificatam,  
primo animationis instanti. Hujus sen-  
tentia sunt illi omnes, qui tenent, B. Vir-  
ginem fuisse conceptam absque originalis  
culpæ contagione, a qua fuerit in primo  
instanti præservata. Ita Scotus cum suis,  
alique plurimi in Dissert. 202. citati.

Dicimus I. B. Virginem fuisse a Deo sancti-  
ficatam primo animationis instanti.

I. Probat. Nulla creatura potest esse in sta-  
tu puræ naturæ; sed si B. Virgo in pri-  
mo animationis instanti non fuisset san-  
ctificata, fuisset in statu puræ naturæ: er-  
go B. Virgo fuit sanctificata primo ani-  
mationis instanti. Major patet, quia nulla  
creatura fuit unquam in aliquo statu, in  
quo non habuerit neque peccatum, neque  
gratiam; at hoc importatur per statum  
puræ naturæ, ut omnibus est certum: er-  
go &c. Minor primi argumenti probatur.  
B. Virgo primo illo animationis instanti  
non habuisset peccatum, quia non habuit  
peccatum originale, ut probavimus; ne-  
que habuisset gratiam sanctificationis,  
quia non fuisset sanctificata, ut conten-  
dunt Adversarii; ergo neque habuisset  
gratiam neque peccatum: ergo fuisset in  
statu puræ naturæ.

II. Probat. Ut B. Virgo gratiam sanctifica-  
tionis acciperet primo animationis instan-  
ti, nullum erat impedimentum, neque ex  
parte ipsius, neque ex parte Dei; er-  
go vere gratiam sanctificationis pri-  
mo illo instanti accepit. Probat. an-  
tecedens. Non erat impedimentum  
ex parte Virginis, quia non erat in ea  
pec-